

omnes actus voluntatis, etiam imperfectos, et quales possunt esse in homine infirmo, et primum desiderium, aut cupiditas boni, etc. Sed opera virtutum, et hominis sani, quod simpliciter opus bonum nominabant, et distinguebant ab iis quæ solum sunt initia, et quid prævium ad bene operandum. Quid autem nomine gratiæ prævenientis intelligerent statim dicemus.

Inferebant secundo, illud primum desiderium, et initia bonæ voluntatis non esse computanda inter opera bona, ad quæ indiget homo curatione, et gratia, quia quantum ad illa non fuit infirmata natura. Nec ex hoc tollitur, quod gratia ad bene operandum gratis detur, quia solum datur petenti; petitio autem alicujus beneficii non tollit, quin gratis detur, ut etiam in humanis constat, nec importat meritum de condigno, sed ad summum de congruo.

Inferebant tertio ratione hujus desiderii, seu petitionis antecedentis dici quod Deus expectat voluntates nostras, ut purgari velimus, hoc est, ut desideremus purgari, quam propositionem damnat Concilium Arausicum II. Et dicebant prærequiri hanc voluntatem, seu initium bonæ voluntatis desiderantis, et petentis, ut Deus daret gratiam ad bene operandum, quia existimabant Deum reluctanti, et nolenti non dare dona sua, sed quærenti, et pulsanti, ut dicebat Faustus loco supra citato, cap. XVII, et alii tempore S. Prosperi, ut in verbis supra citatis vidimus, unde dicebant gratiam Dei non fovere, nisi hominem jam appetentem bona, et priorem esse obedientiam nostram, quam Dei gratiam; tum ne videretur Deus esse injustus, si nolentibus daret gratiam, et tamen non omnibus nolentibus, sed quosdam relinqueret; tum ne videretur voluntas esse omnino extincta per peccatum, si nec etiam sanita-

tem suam posset desiderare, et petere.

VI. Quarto, circa gratiam quæ prævenit nos, quænam gratia esset, et in quo consisteret, videntur fuisse divisi: nam cum urgerentur a catholicis super illa propositione, quod gratia prævenit omnia merita, et non ex merito datur, alioquin gratia non esset gratia, vel videtur circa explicationem hujus gratiæ fuisse divisos. Nam quidam admittebant simpliciter illam propositionem quod gratia prævenit omnia merita, sed nomine gratiæ non intelligebant id quod catholica Ecclesia contra Pelagium, scilicet aliquam Spiritus, et virtutis subministrationem nobis superadditam, sed id quod Pelagius nomine gratiæ intellexit, scilicet naturam cum libero arbitrio gratis acceptam a Deo, aut etiam legem, vel doctrinam, gratiam vero quam Ecclesia catholica ponit, solum ad bona opera prævenire nos dicebant, non ad ipsa initia bonæ voluntatis, ut ad desiderandum, et petendum. Unde Prosper in epistola citata dicit quod: « Quidam eorum in tantum a Pelagianis semitis non declinant, ut gratiam quæ omnia prævenit merita velint esse conditionem liberi arbitrii. » Ponebat ergo gratiam non in alio quam Pelagiani, scilicet in ipso libero arbitrio gratis a Deo recepto in sui creatione: et sic dicebant quod Deus gratis vocatos dignos futuros sua electione prævidebat; ubi ly gratis poterat applicari ad quodcumque beneficium gratis acceptum a Deo, ubi etiam continetur creatio naturæ, prædicatio externa, lex, et alia similia, quæ Pelagius non negabat. Hunc ergo modum gratiæ, seu generalitatem gratuiti beneficii admitterebant isti ad ipsam vocationem, et initia bonæ voluntatis. Et Faustus libro primo de libero arbitrio, cap. XII, tom. IV, bibliothecæ, præ-

cumque ipse voluerit absque eorum libertate. Ex quibus verbis constat quomodo auctores hujus sententiæ in hoc præcipue faciant vim, quod efficacia decreti ejusque infallibilitas non debeat derivari ab omnipotentia Dei, et potestate immutativa voluntatis nostræ ut dominio quod habet in eam, sed ex præsuppositione prævisa consensus nostri. Atque ita omnipotentia Dei solum habet posse præcipere, suadere, et rogare nostram voluntatem, non intime immutare. Et tamen certum est S. Augustinum ex omnipotentia, et dominio Dei super nostras voluntates efficaciam gratiæ deducere, non quia agit nos ut agamur tantum, sed quia agit ut agamus. Nec ex eo quod Deus supremum habeat dominium in nostras voluntates, sicut et in cætera quæ sub cælo sunt, ly sicut significat quod sine nostra libertate habet illud dominium, sicut in alias res, nam etiam dicitur Prov. XXI: *Sicut divisiones aquarum, ita cor regis in manu Dei quocumque voluerit, inclinabit illud*: esse enim in manu Dei significat esse in potestate, et dominio ejus; esse autem sicut divisiones aquarum, quæ derivantur quocumque hortulanus voluerit, non significat cor regis esse sine libertate, sicut aqua est sine libertate, sed summam potestatem, et dominium Dei super voluntatem liberam, sicut super aquam, qui dividit illam: ergo neque ullum est inconveniens quod diceret pontifex, Deum habere dominium in voluntatem nostram, sicut in omnia quæ sub cælo sunt, cum voluntas nostra sit creatura Dei non minus ei subjecta, quam cæteræ res, licet istæ non participant a Deo libertatem sicut illa.

XX. Quod vero ex omnipotentia et dominio Dei in corda nostra posuerit Augustinus efficaciam gratiæ, constat imprimis, ex enchiridio, cap.

xcv, ubi inquit: « Tunc videbitur quam certa, immutabilis, et efficacissima sit voluntas Dei, quam multa possit, et non velit, nihil autem velit quod non possit (ecce omne volitum et potentia Dei) quamque sit verum quod in psalmo canitur: Deus autem noster in cælo, et in terra, omnia quæcumque voluit fecit. Quod utique non est verum, si aliqua voluit, et non fecit. Et quod est indignus, ideo non fecit, quoniam ne fieret quod volebat omnipotens, voluntas hominis impedivit. Non ergo fit aliquid nisi omnipotens fieri velit, vel sinendo ut fiat, vel ipse faciendo. » Et infra c. xcvi: « In cælo et in terra non quædam voluit, et fecit, quædam vero voluit, et non fecit, sed omnia quæcumque voluit fecit. Quis porro tam impie desipiat, ut dicat Deum malas hominum voluntates, quas voluerit, quando voluerit, ubi voluerit in bonum non posse convertere? » Ergo hanc efficaciam convertendi nostras voluntates ad omnipotentiam, et dominium Dei in illas Augustinus reducit, quia scilicet potest facere quidquid vult, non autem quidquid prævidet aut supponit nos facturos. Et libro de correptione et gratia, c. XIV: « Qui hoc non fecit, nisi per ipsorum hominum voluntates, habens sine dubio humanorum cordium quo placeret inclinandum omnipotentissimam potestatem. » Et infra: « Regis habet in potestate voluntatem hominum, quam ipsi suas. » Sed homines habent dominium suæ voluntatis, et per hoc vertunt, et mutant illam: ergo multo magis Deus, ex potestate sua super voluntatem id facit. Et libro primo contra duas epistolas Pelagianorum, c. XX: « Deus, inquit, cor regis antequam mulieris sermonem poscentis audisset, occultissima et efficacissima potestate convertit, et transtulit ab indigna-

tione in lenitatem, hoc est, de voluntate lædendi in voluntatem faciendi secundum illud Apostoli: Deus est enim qui operatur et velle. Numquid homines Dei, qui hæc scripserunt, imo ipse Spiritus Dei, quo auctore per eos ista scripta sunt, oppugnavit liberum arbitrium? Absit. Sed omnipotentis in omnibus et iudicium justissimum, et auxilium Dei misericordissimum commendavit. » Item libro de gratia et libero arbitrio, cap. XXI: « Agit omnipotens Deus in cordibus hominum etiam motus voluntatis eorum ut per eos agat, quod per eos agere ipse voluerit. » Et alia multa passim occurrunt in Augustino ubi ipsum motum, ipsam mutationem voluntatis, ipsam efficaciam in bonum ad omnipotentiam, et potestatem Dei super nostras voluntates, atque adeo ad dominium super eas reducit, non ad aliquid præsuppositum et prævisum, ex parte nostra. Unde etiam dixit S. Thomas 1 p. q. XXII, art. II ad 4, quod: « Quia ipse actus liberi arbitrii reducitur in Deum, ut in causam, necesse est ut ea quæ ex libero arbitrio fiunt, divinæ providentiæ subdantur. » Ubi notanda causalis illa est: Quia reducitur in Deum, ut in causam, significat enim ex Deo habere etiam quod liber sit. Ac proinde tam magnum inconveniens est velle hoc subtrahere a dominio, et potestate Dei, et efficaciam immutandi voluntatem, non ad ejus omnipotentiam reducere, sed ad nostram voluntatem, et consensum præsuppositum a Deo, et non factum, ut ob hoc, solum (essentialiter non obstant) omnino talis sententia explodenda sit.

XXI. Hoc ergo est præcipuum caput in quo istæ sententiæ inter se disconveniunt. Ex illo autem innumera alia deducuntur capitula. Nam evacuata efficacia in divinis decretis ex propria, et intrinseca potes-

tate, et dominio ipsius super creatam voluntatem etiam ut liberam, oportet innumera alia corollaria admittere quæ latius in sequentibus propositionibus, et responsione ad illas videbimus.

CALVINIANÆ PROPOSITIONES HÆRETICÆ, THOMISTICÆ CATHOLICÆ.

XXII. Hinc denique intelligitur, omnia capita, et propositiones erroris Calvinii, quæ in hac materia cum propositionibus Thomistarum quasi parallelæ inducuntur, in vanum sic parificari. Plures relatæ sunt a p. Vastida in congregatione XLIV, habita de hoc re, ubi conatus est probare Calvinisticas propositiones omnino cum Thomisticis convenire. Et retulit decem præcipuas propositiones hujusmodi, quas in Calvinio, et in Thomistis æqualiter legi dicebat. Prima et principalis, et quæ cæterarum est radix, et hæc: « Auxilium prævenientis gratiæ est de se solo efficax independens ab humana libertate, ita quod humana voluntas non potest illud reddere efficax vel inefficax, quod totum in terminis legebatur in Calvinio, imo Calvinus non dixit, nisi quod hoc auxilium de se est efficax: Thomistæ vero addiderunt de se solo. Secunda propositio erat: Posita gratia Dei de se efficacia non possumus non velle, non possumus dissentire, non possumus resistere, aut refragari. Quam propositionem dicebat ex præcedenti inferri, eamque apud Thomistas haberi, et in Calvinio legi. Tertia: Ex hac gratia actus voluntatis sequitur necessario non suapte natura, sed ex suppositione decreti divini, vel alterius antecedentis causæ. Si enim huic auxilio non potest resistere voluntas quamdiu ipsum manet (manet autem quamdiu operatur in actu) necessa-

rio actus voluntatis sequitur. Et hanc etiam dicebat inveniri apud Thomistas, et Calvinum. Quarta: Sine auxilio efficaci gratiæ, homo non potest bene operari, nec ad Deum converti; quam etiam ex Thomistis in Calvinio referebat. Quinta: Quod ex duobus hominibus unus convertatur, alius non, non aliunde, quam ex inæqualitate gratiæ est. Quam dicebat sequi ex antecedentibus, et a Thomistis affirmari, atque etiam poni a Calvinio. Sexta: Eos quibus æqualem gratiam Spiritus sanctus partitur, æqualiter cum illa conari necesse est. Et hanc dicebat esse contra Concilium Tridentinum, sess. VI, cap. VII, ubi dicitur unumquemque recipere gratiam secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur, et uniuscujusque dispositionem, et cooperationem; illamque similiter tribuebat Thomistis et Calvinio. Septima: Oblatam gratiam recipere, hoc est, acceptare, non nostræ facultatis est, quam etiam utrisque tribuebat et Calvinio et Thomistis. Octava: Hæc gratia ita voluntatem agit, ut quamvis voluntas agat, nihilominus adæquata causa conversionis sola gratia sit. Nona: Auxilium in quo consistit perseverantiæ donum, est inamissibile, redditque hominem immobilem in bono, independenterque a libero arbitrio antecedenter facit hominem perseverare. Decima: Deus æterno suo decreto, et inevitabili omnes nostras actiones sive bonas, sive malas prædefinit, ac prædeterminat: quas etiam tam in Thomistis, quam in Calvinio aiebat inveniri.

XXIII. His propositionibus sic a Vastida objectis contra Thomistas in conspectu suæ Sanctitatis ita satisfactum est in prædicta congregatione, et veritas manifestata, ut non possint amplius nisi ex intolerabili ignorantia, aut calumnia Tho-

misticæ propositiones æquiparari Calvinianis; cum ipse Calvinus semper procedat secundum efficaciam per modum naturæ agentem voluntatem, et sic destruentem modum libertatis ejus. Thomistæ autem secundum efficaciam ita universalem et operantem omnia infallibiliter, ut ob hoc ipsum debeat non solum causare actum, sed etiam modum ejus, ut libere fiat, quia etiam ipsa libertas est a Deo, et eam vult in nostris actibus, ut S. Thomas dicit, 1 p. q. XIX, a. VIII ad II. Et ita solum est necessitas consequentiæ, et ex suppositione quod posito decreto efficaci sequatur operatio, non necessitas simpliciter, et ex parte consequentis, ut docet expresse S. Thomas 1-2, q. X, art. IV: « Quod si est ex Deo quod voluntas alicujus moveatur ad bonum, necesse est quod ita sit, sed non est necessaria simpliciter; » sicut est necessaria consequentia, quod si video Petrum currentem, ipse currit, sed non est necessarium simpliciter et ex parte ipsius consequentis.

XXIV. In summa ergo, prima propositio quæ cæterarum est radix, ita intelligitur, et traditur a Thomistis secundum, intelligentiam catholicam, decretum prævenientis gratiæ de se solo est efficax, et independenter a libero arbitrio, ubi ly solum et independenter, excludit in libertate nostra quod præbeat rationem, aut causam ipsius efficaciam, non quod sit effectus ipsius, quia nos per nostram libertatem non efficimus ut dona Dei in nobis valeant, seu effectum habeant, ut dicit Augustinus epistola CVII contra Vitalem, sed potius per gratiam voluntas nostra consequitur libertatem, quod est habere liberum modum pro effectum, ut dicit libro de correptione et gratia, c. VIII. Calvinus autem intelligit quod de se decretum est efficax, et independenter ab ipsa, et ut a

causa, seu ratione efficaciam, et ut ab effectu, quia dicit esse efficaciam per modum naturæ agentem, et necessitantem nos, atque adeo non habentem pro effectu libertatem actus, sed tollentem illam.

XXV. Secunda propositio: Proposito decreto efficaci de se solo, non possumus non velle, dissentire, aut resistere, apud Thomistas, secundum catholicam doctrinam hunc habet sensum: Non possumus dissentire, aut resistere potentia antecedenti est falsum, et hæreticum; potentia consequenti est verum, et catholicum. Potentia antecedens est potentia sine actu resistentiæ, sed cum potestate resistendi, potentia consequens est potestas resistendi cum actu resistente, posita ergo efficacia Dei dante actum et libertatem actus, manet potestas resistendi antecedens: id enim conservat gratia conservando libertatem, et ratione hujus dicit Concilium Tridentinum, sess. vi, c. v, quod: « Potest homo dissentire, potest illam gratiam abjicere, si velit, » potestate scilicet antecedenti. Sed non manet potestas consequens, id est, cui sit conjunctus actus resistendi, et abjiciendi ipsam efficaciam Dei, quæ hoc operatur, ut homo non abjiciat eam, quia a nullo duro corde respuitur: datur enim ut cordis duritia primitus auferatur, ut Augustinus dicit de prædestinatione sanctorum, cap. viii. Et ita nulla est potestas ad conjungendum actum resistentiæ cum actuali efficaciam convertentis Dei. Et in hoc sensu dicitur catholice Esther xiii: *Non est qui tuæ possit resistere voluntati*: et Rom. ix: *Voluntati ejus quis resistit*? Et Augustinus de correptione et gratia, c. xiv: « Deo volenti salvum facere, nullum humanum resistit arbitrium: » et cap. xii: « Subventum est infirmitati humanæ, ut indeclinabiliter, et inseparabiliter agere-

tur, et ideo quamvis infirma non deficeret. » Calvinus autem dixit non posse non resistere, non posse dissentire, etiam potestate antecedenti, quia per modum naturæ necessitantem posuit nostram voluntatem, et sine libertate.

XXVI. Tertia propositio: Ex hac gratia sequitur actus voluntatis necessario, etc. Thomistæ non intelligunt sequi actum necessario necessitate simpliciter, et ex parte consequentis, sed necessitate ex suppositione, et necessitate consequentiæ, quæ est necessitas infallibilitatis, quam expresse ponit S. Thomas citato loco 1-2, q. x, et iterum q. cxii, art. iii, et aliis locis. Calvinus autem posuit sequi actum necessario necessitate simpliciter, et tollente omnem libertatem, quia sentit nos agi per modum naturæ.

XXVII. Quarta propositio: Sine auxilio efficaci homo non potest bene operari, etc. Thomistæ dicunt, non potest sine auxilio efficaci, quantum ad sufficientiam seu potentiam agendi, falsum est; ante efficaciam enim habet hanc potentiam. Non potest quantum ad applicationem, et motum ipsum agendi, transeat: seu aliis verbis. Non potest potentia antecedenti, est falsum; non potest potentia consequenti, est verum: sicut si diceremus: Agens sine actione non potest agere, sine motu non potest movere: clarum est enim quod sine actione, id est, antecedenter ad actionem potentiam habet agens ad agendum, et tamen nisi ipsa actio ponatur, vel applicatio ad actionem, non poterit agens habere effectum. Calvinus autem quia potentiam liberam negavit, et totam operationem ita voluit esse a gratia, quod non a nobis libere operantibus, ideo ante efficaciam gratiæ, potentiam denegavit liberam, nec voluit esse aliud auxilium sufficiens, quam efficax.

XXVIII. Quinta propositio: Quod ex duobus hominibus unus convertatur, alius non, solum ex inæqualitate gratiæ provenit. Thomistæ hoc dicunt in sensu catholico, Calvinus in hæretico. Sensus Thomistarum est, quod solum ex inæqualitate gratiæ provenit tamquam ex prima radice et virtute, quia totum quod est in conversione, licet sit a libero arbitrio ut elicente libere, tamen tota radix, et virtus unde hæc libertas habet vigorem, valorem, et proportionem ex gratia est, et quidquid palme producit ex vite nostra est, quia sine ipso nihil possumus facere. Et sic quicumque convertitur, majus auxilium habet, a quo et actum conversionis, et libertatis suæ modum in ipsa conversione haurit, quia radix est Deus, etiam libertatis nostræ. Sensus vero Calvinus est. Ex sola inæqualitate gratiæ provenit, ita sola, quod omnem libertatem nostram excludit et omnem modum agendi libere, quia posita efficacia illa Dei, non libere sequitur effectus gratiæ.

XXIX. Sexta propositio: Eos quibus æqualem gratiam Spiritus sanctus partitur, æqualiter cum illa conari necesse est. Huic non refragatur Concilium Tridentinum, quia ita docet dari gratiam secundum mensuram Spiritus sancti et dispositionem nostram, quod nostra dispositio ex Spiritu sancto etiam est, quia præparatio ad gratiam, ut etiam Concilium fatetur, ex gratia est: « Præparatur enim voluntas a Domino. » Quare si æqualem gratiam partitur Spiritus sanctus, id est, omni modo æqualem, non solum ex parte justificationis et habitus, sed etiam ex parte dispositionis et auxilii, necesse est æqualem conatum nasci, quia totum quod in agendo libere conatur voluntas ex Deo movente ut a radice oritur, de quo videtur S. Thomas 2-2, q. xxiv, art.

iii, ubi expresse propositionem illam docet. Calvinus autem in sensu hæretico docet, ex æquali gratia nasci æqualem conatum, tamquam ex causa excludente liberum conatum nostrum, ita quod nec etiam se habeat ut effectus illius æqualis gratiæ conatus nostræ libertatis modo libero operans.

XXX. Septima propositio: Oblatam gratiam acceptare non est facultatis nostræ liberæ. Non dicunt hoc Thomistæ, sed solum non esse facultatis liberæ reddere efficacem, vel inefficacem gratiam, quasi ex nostro consensu efficacia, et determinatio gratiæ accrescat, aut evacuetur. Hoc negant, et vere Thomistæ. Ipsam autem efficaciam, quæ donum Dei est, acceptare, liberum nobis est, quia hoc ipsum facit efficacia gratiæ, scilicet quod libere acceptetur, et duritia cordis primitus auferatur, quæ duritia non auferretur sed maneret, si libere non auferretur, sed coacte. Itaque potest dissentire, dum acceptat gratiam nostram voluntas, potentia scilicet antecedenti, ut explicatum est, non consequenti. Calvinus autem negat facultatem liberam ad acceptandam gratiam, quia omnem potestatem liberam etiam antecedentem tolli per gratiam docet, et solam necessitatem induci.

XXXI. Octava propositio: Gratia ita voluntatem agit, ut quamvis voluntas agat, adæquata tamen causa conversionis sola gratia sit. Si ly adæquata, et ly sola excludat libertatem arbitrii, etiam ut subjectam, et motam ab ista gratia hæretica propositio Calvinus est. Si libertatem affirmet, ex subjectione ad gratiam non destructam, sed perfectam, ita quod tota virtus, et radix hujus efficaciam sit gratia et misericordia, effectus autem ejus sit operatio nostra, non solum in sua substantia, sed etiam in libertate sua, seu modo li-